





8  
1727 35

IO. FRIDER. WEIDLERI  
<sup>DE</sup>  
PRAESENTI  
SPECVLARVM  
ASTRONOMICARVM  
STATV  
DISSERTATIO  
PRAELECTIONIBVS PVBLICIS  
IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
A. C. cIs Icc XXVII.  
AESTIVO SEMESTRI HABENDIS  
PRAEMISSA  
WITTEBERGAE  
TYPIS GERDESIANIS.

IO. FRIEDR. & KIDLERI  
PRAESENTI  
SPRACAVARUM  
ASTROMIACARVM  
UTATIS  
OITATIA  
KOMMUNICANTIBVS  
ADMIRANDVS  
N C O D E Z A W M  
SITVQ SEMESTRI HANNOV  
TERRITORIIS



**V**niversam naturalem scientiam obseruationibus ortum atque incrementa sua accepta referre, apud omnes in confesso esse, arbitror. Idem de astronomia, nobilissima physicae portione, valet. Antequam enim attentiores in coelos oculos telluris incolae uerterent, nihil uel de natura siderum, uel de phaenomenis eorum reliquis scire et statuere potuerunt. Interim coeli contemplatio paulo aliter, quam aliorum naturae operum, fieri, multoque maiore apparatu, institui, et longiori studio continuari debebat. Nimirum propter distantiam siderum a terra, multa ante quererere oportuit, quae in proximis et ante oculos nostros positis corporibus, per se statim manifesta sunt. Et ob eandem causam, nec non ob progressionum stellarum uarietatem, inueniendae erant plures machinae geometricae et opticae, quarum ope astrorum mutua positio determinetur. Praeterea raritas siderum, quia non semper obvia et conspicua sunt, et relationum ingens multitudo efficiunt, ut non nisi diutissime collectis obseruationibus, vix qualiscunque notitia legum motuum sidereorum obtineatur. Hae causae

A 2

prixin

praxin astronomicam amplissimam, ac perdifficilem pepererunt. Arduus enim labor est, fabricare idonea experimentis in coelo capiendis organa, eademque subtilibus et accuratis diuisionibus perficere, diu multumque, et plerumque noctu altris notandis, etiam cum ualeitudinis periculo, inuigilare, tum diffusissimorum calculorum fastidia ferre, et postea de rerum implicatissimarum ordinatione, ac totius mundani systematis forma meditari, quae quidem omnia ad opus negotiumque astronomi spectant. Cum itaque recentior haec aetas plures astronomiae patronos tulerit, qui de praxi, quam dixi, astronomica, atque adeo de tota siderum scientia, promouenda, serio laborarunt, eumque in finem in speculas astronomicas, et instrumentorum, quibus opus habent obseruatores, supellestilem, magnos sumtus impenderunt, mihi uero fortuna fauerit, ut uaria obseruatoria, quae uocantur, frequentare, et exercitationibus uranicis aliquamdiu interesse potuerim, putauit hoc ipsum de *speculis*, in quibus hodie *praxis astronomica floret*, argumentum, nouis, quas propediem auspicaturus sum, in astronomiam praelectionibus aptissime praemitti posse. Sequar autem seriem annorum, quibus uraniae habitacula fundata sunt.

Prima, post splendidae arcis Vraniburgi, a Tycho-  
ne Braheo in insula Huenna conditae, cuius hodie  
ne uestigium quidem superest, (teste Picard, *Voyage  
d' Uranibourg*) ex*cidium*, *Specula Europaea Hafniae* ere-  
cta est, sapientissimis CHRISTIANI II. Regis Danorum,  
auspiciis. Nimirum prope Collegium Regium  
surgit

63 (6) 64

surgit turris rotunda, alta 150. p., et quoad supremae areae hypaethrae diametrum lata 60 pedes. Cochlidium planum leniter acclive ad fastigium dicit, tanta quidem amplitudinis, ut currus eo commode equis trahi queat. Turris fundata est anno 1601, destinata obseruationibus astronomicis, quas Tycho in Dania cooperat, perpetuandis, quem in finem etiam globus Brahei coelestis diam.  $6\frac{3}{4}$  p. cum aliis eodem spectantibus organis, ibi fuit collocatus. Superiore seculo ornauit hanc speculam *Olaus Roemerus*, Consiliarius et Mathematicus Regius, et hodie curam astronomiae ibidem gerit *Celeb. Dn. Petr. Horrebowius*, Superiorum Mathematicorum, in academia Hafniensi, Professor, cuius obseruationum specimen aliquot hucusque innotuerunt, pluraque ex eius scrienis propediem proditura sperantur. Agit de hac turri *D. Oliverius* in Itinere Danico, quod inferuit Epit. Transact. Angl. Mottius. P. IV. p. 166. Iq.

Exemplum tam augustum secutus est CAROLVS II. Rex magnae Britanniae, natalis rei summus amplificator, huius enim praecipue in gratiam, consiliis *Ioannis Moore* adjutus, anno 1666 in viuario prope Grenouicum oppidum, quod bis mille circiter passibus Londino abest, in colle amoenissimo, aedes nouas, astronomiae et arti nauticae, uti inscriptio habet, consecratas ponit iussit. Anno 1676, easdem occupauit astronomus regius, *Ioannes Flamsteadius*, qui hactenus Derbiae, in patria sua, stellis obseruandis operam dererat. Apporbat ille secum septantem, cuius limbus erat cochleatus, duoque pendula, alterum annum, alterum hebdomadarium. sextantis sequens for-

ma fuit. habebat radium 6 p.  $9\frac{1}{4}$  dig. gradus singuli in  
 12 partes diuisi, fulcra ex ferro malleato parata erant,  
 prope centrum suspensionis laminatione 9 dig. lata  $1\frac{1}{2}$  crassa,  
 cum 10 costis subscudatis, quae duos extremos radios  
 sustinent, latae 1 dig. crassae  $1\frac{1}{2}$  dig. paruae trabes se-  
 ptem ex solido ferro sub limbo producto sustinent re-  
 gularam ferream depressoam, latam 2 dig. crassam  $\frac{1}{2}$  dig.  
 super hac regula telescopii fixi ultra locantur, et exin-  
 de spatium, pro duorum obseruatorum capitibus ac-  
 quiritur, sextantis limbis est in eodem plano cum binis  
 radiis, ex ferro fabricatus  $1\frac{1}{2}$  dig. latus, obducitur la-  
 mina orichalcica haud parum latiore,  $\frac{1}{4}$  dig. crassa  
 limbi margo acie cochleae chalybeae 12 strias inter-  
 vallo unius digiti complectentis, exacte denticulatur  
 et striarum revolutiones in propriis circulis, prope  
 strias, super limbi planum ductis, numerantur. In-  
 tra hos circulos sunt gradus diagonalium ope diuisi,  
 et distantia inter singulas diagonales est quinque mi-  
 nutorum, et limbi latitudo ubi diagonales inscribun-  
 tur,  $1\frac{2}{3}$  unius digiti capit, hinc totum illud spatium  
 in 5 partes dirimitur, in margine quadrati aenei, quod  
 indici annexitur, et singulae ex his particulis in sex  
 alias distribuuntur, decem secunda repraesentantes.  
 Verum ipse Flamstedius Volumine III. Historiae  
 coelestis Britannicae p. 103, de diovisione graduum ope  
 cochlearum, et eius utilitate dubitare coepit. Pro-  
 pterea, inquit, haud ardua res esset, angulum in celis aut  
 distantiam ad tantam acribiam metiri, si arcum circuli tam  
 accurate diuidi posse, nobis constaret. Num uero id fieri  
 possit, dubium remanet, potest tamen ad summam nitit acri-  
 biam, cum praeservium telescopia ultimae perfectionis conse-  
 quen-

quendae ansam p[re]aeberent, si sensuum perceptiones et manuum operationes pariter essent subtile[s], ac oculi sunt ad uidendum perspicaces. Praeterea postmodum quadrantem meridionalem, eiusdem radii cum sextante comparauit, in quo robur ac soliditatem ipse desiderabat. Itaque tandem arcum muralem firmauit, cuius diuisionem et fabricam Abrahamus Sharpius, Flamstedii in obseruando socius, perfecit. constitit idem centum et uiginti libris anglicanis, et opera 14 mensium, eodemque per triginta annos usus est, pro condendo catalogo fixarum. descriptio copiosior legitur in *Historia coelesti Britann. Volum. III. p. 107.* Quae nunc commemorauit, Grenoviensis Obseruatorii ornamenta, regiis impensis comparata erant. Enim uero cum anno 1719. d. 31. Dec. fatis concederet Flamstedius, et uidea eiusdem domum vacuefaceret, instrumenta quoque praecipua, tanquam ad hereditatem mariti sui spectantia, sibi vindicauit, tamque male tractauit, ut fere successori inutilia uiderentur. Itaque Edmundus Halleius, uir suo merito magnus, cui post obitum Flamstedii, obseruatoris regii honorifica prouincia obtigit, necessitate compulsus fuit ad uaria noua organa comparanda. Praestantissimum est quadrans muralis, de quo hic aliqua referenda duxi. Scilicet in angulo hortuli, qui obseruatorio contiguus est, finiflstro, parua domus, alta circiter 20 pedes, posita cernitur, in cuius medio murus solide fundatus, 2 pedes crassus, 10 p. longus et 13 pedes altus, ex optimo duressimoque lapide quadrato Portlandico, coagmentatus, super linea meridiana, consistit, et ab utraque parte in muro aliquot ferris cochleatis capitibus inserta haerent.

haerent. In latere eiusdem muri, quod in orientem  
 respicit, suspenditur ex clavis suis quadrans, cuius ra-  
 dius est 8 pedum. ferra, quibus limbus orichalcicus, et  
 regula, telescopicas dioptras sustinens, retinentur, ple-  
 raque tres digitos lata, et digitii parte tertia spissa sunt,  
 uariisque transuersis vinculis sic firmantur ac colligan-  
 tur, ne facile a stabili situ suo instrumentum dimoueatur.  
 Arcus quadrantis partitio plane peculiaris hic  
 occurrit, ab horologiorum artifice Londinensi iuuen-  
 ta, et post institutum coram regia scientiarum societate  
 examen approbata. Cum enim sectio in par-  
 tes nonaginta, geometricae fieri non posset, placuit ei-  
 dem superaddere diuisionem in partes 96, quae per  
 continuam bisectionem fit, et propterea omnibus nu-  
 meris absoluta censemur. Gradus singuli diuisi sunt in  
 partes duodecim, quarum quaelibet quinque minuta  
 capit. Et pars nonagesima sexta, quae subiicitur gra-  
 dui, habet diuisiones sedecim. Cum autem utraque  
 sectio nondum satis subtilis sit, siquidem minuta gra-  
 dum adhuc desiderantur, hinc applicatur regulae fi-  
 fidiae, cui telescopium incumbit, lamella, cuius supe-  
 rior portio gradus respiciens capit  $\frac{11}{12}$  unius gradus,  
 scilicet 55 minuta, quae in decem partes dissecta, minutis  
 primis eorumque dimidiis indicandis adhibetur. In-  
 ferior eiusdem lamellae margo pertinet ad partes no-  
 nagesimas sextas, et arcum refert, qui  $\frac{15}{18}$  unius diu-  
 sionis exhibit. et licet superior diuiso in gradus, si ac-  
 curate se habeat, sufficere uideatur, addita tamen est in-  
 ferior, quia perfectior, pro superioris examine, quod  
 uel tabula, uel breui calculo institui potest. Inuen-  
 tor, nisi me omnia fallunt, occasionem de eiusmodi  
 parti-

partitione cogitandi, a Petro Nonio Saliacensi, natus est, qui in tr. de crepusculis Propos. 3. p. 20. instrumentum singulare pro metiendis astrorum altitudinibus descripsit. is super lamina aenea, dicit quadrantes 46, et extreum ac maximum in 90, sequentem in 89, tertium in 88, quattum in 87, et sic ceteros in partes pauciores, usque ad 46, fecat, regulamque fiduciae applicat, et attendit, in quam divisionem incidat regula, uel perpendiculum, observata aliqua stellae altitudine. tum beneficio aureae proportionum regulae, ex cognita ratione partium datarum, ad integrum arcum quadrantis, cui respondent, quaerit particulas graduum et minutorum, quae divisione quadrantis in 90 nituntur. Tycho tale organon curiose imitatus est, quemadmodum, in astronomiae instauratae mechanica figura prima docet, sed in addita e regione explicatione, negat, praestari eodem, quod Nonius pollicebatur. Grenouicensis autem quadrans iam satis sine divisione inferiore partium 96, utilis est, quia superior in gradus 90, eo, quem tradidi modo, feliciter fuit elaborata. Cuius rei ipse testis sum. saepe enim reperi, quod tum altitudinum, tum transitus stellarum per meridianum observationes, tam accurate cum melioribus Flamstedianis consentiant, ut quoad tempus ad secunda quandoque minuta euentus praedictioni respondeant. Hoc instrumentum pertinet ad obseruanda sidera, quae in meridiani parte meridionali haerent, aliud insuper in altero parietis latere suspendendum erat, pro notandis stellarum semper apparentium elevationibus, quando in septentrionali meridiani

B

arcu

arcu sunt, et Halleius propterea cochleas iam in lapides immisit, sed quadrans nondum paratus est. Interim in alio conlaui Halleius opticum tubum semicirculo rite diuiso instruxit, quem in meridiani arcum utrumque accurate uertere nouit, quocum defectum alterius quadrantis supplet. Praeter haec organa in ampliore obseruatorii conlaui, quadrans et sextans mobiles, cum dioptris telescopicis, nec non telescoptia longiora occurunt, pro obseruationibus extra meridianum instituendis. Tria etiam horologia oscillatoria, unum in conlaui, de quo loquor, ampliore, alterum prope quadrantem muralem, tertium prope telescopium semicirculo impostum, suspensa sunt. Ceterum illustris Halleius, eti solus, et iam septuagenario maior sit, tamen, cum corporis prospera fruatur ualeudine, noctu diuque in sidera intentus est. siquidem transitus solidis et stellarum planetarum, et praecipuarum fixarum, per meridianum, diligenter notat, nec alia phaenomena singularia iouialium et similia praetermittit. Sollicitus in primis est in corrigendis erroribus, qui in catalogis fixarum potiorum occurunt, et speciatim in condendo novo et perfectiore indice insigniorum stellarum, quarum contemplatio in astronomia et geographia maxime utilis existit, tum etiam in lunae varietatibus diligentius expendendis, ut si fieri potest, tandem eius conspectus iter mari facientibus, ad manifestandam longitudinem inseruiat quam methodum *Joannes Morinus* superiore seculo enixe commendauit. de qua uide disputata a *Petro Herigonio* cursus mathematici. tom. 4. p. 490. sq. et tom. 5. p. 861.

Sub

Sub idem, quo in Anglia specula Grenouicensis aedificabatur, tempus, noua doctrinae astronomicae lux in Gallia accensa est. LVDOVICVS enim X I V. Rex, Ioannis Baptiste Colberti, primarii status regni sui administris suasu, ad suscipiendum liberalium studiorum patrocinium permotus, in annum induxit splendidissimum uraniae palatum erigendi, ut nobilis haec scientia, quae abditis quidem in rebus uersatur, sed publicis commodis, in primis nauigationi et geographiae, imo et religionis Christianae propagationi tam utilis iudicatur, se imperante, magna caperet incrementa, et longius, quam unquam antea proucheretur, ut loquitur Hamelius, in Hist. Reg. scientiar. Academiae Lib. I. Sect. 9. c. I. p. 109. Eligebatur itaque locus prope Lutetiam Parisiorum editor, iuxta suburbium D. Iacobi, uersus meridiem, qui uaporibus non esset adeo obnoxius, et ex quo liber in omnem plagam prospectus pateret. Fundamenta ponebantur in lapicidina, unde olim lapides pro extenuendis aedificiis excisi erant, sic enim super petra muros crassiores securius niti posse existimabatur. Formam operis *Claudius Perratus*, Medicus et Architectus praestantissimus, inuenit, et commentario suo ad Vitruvium gallico Lib. I. c. 2, exhibuit, neque necessarium uidetur, ut sigillatim de singulis illius partibus dicamus. Tollit se hoc aedificium ad octoginta pedum altitudinem, et tantundem infra fere deprimuntur fundamenta, coeptum est a. 1667, et absolutum a. 1670. ex solis quadratis complanatis lapidibus sic constans, ut his deuinciendis fere camento opus non fuerit. *Ioannes Dominicus Cassinius*,  
B 2 qui

qui iam a. 1669. a Rege Bononia erat in Galliam accersitus, idem ingressus est a. 1671. mense Septembri. Habet autem duplicem in muri, in meridiem conuersi, angulis turrim hexagonam, unam orientalem alteram occidentalem, quarum quaelibet, necessario-rum organorum apparatu instruēta est, et astrono-mo, cuius museum attingit, seruit. Hodie uiri ce-leberrimi, et de scientiis iampridem optime meriti *Dn. Cassini*, filius, et *Dn. Maraldi*, obseruationibus ibi-dem, magna nominis sui gloria vacant, quibus *Cla-riss. Dn. Godin* adiunctus est. Hae speculae uaria in-strumentorum supellec̄tile superbiunt, in utraque quadrans meridianus rad. 5 p. 10 dig. muro affixus est, cuius gradus, per rectas transuersales secti, sin-gula minuta (secundorum enim decades ex fili uel regulae, extra punctum diuisionis super transuersa-lem situ, aestimatur.) referunt, eidemque regula, cui telescopium incumbit, applicatur. Pro his ma-chinis rite dirigendis firmandisque, multum diuque astronomi regii laborarunt, uerum subsederunt ali-quantum fundamenta murorum, in quibus stillantes ex rupibus aquarum nitrosarum riuiuli, meatus forsan aliquos uel vias aperuerunt. Qua ratione effectum est, ut iam uterque quadrans, cum muro, cui adhae-ret, aliquot minutis a meridiana linea declinet, ut obseruatae per eos altitudines siderum meridianae, non aliter, quam facta prius emendatione, ope alti-tudinum ante et post meridiem similium, valere possint. Quae res multiplicem astronomis labo-rem difficultatemque peperit. Praeterea in qualibet turri horologium oscillatorium, pendulo intra cy-cloi-

cloides suspenso, iuxta quadrantem muralem colloca-  
tur. Tum etiam quadrantes aliquot minores mobi-  
les, fulcris idoneis innixi, radii 3 et  $2\frac{1}{2}$  pedum, cum  
dioptris telescopicis, quorum gradus etiam singula  
minuta referunt, nec non tubi astronomici diuersae  
longitudinis, (quibus ante biennium reflectens Neu-  
tonianus accessit.) et machina parallactica, quae bre-  
uioribus telescopiis fulcrum praestat, uisuntur. Quod  
ad ipsas obseruationes attinet, non modo quotidie so-  
lis, et nonnunquam aliarum stellarum, transitus per  
meridianum et maculae, si quae in isto apparent, et  
speciatim earum quoque in meridiano situs, confide-  
rantur, et cum tempore horologii, cuius simul a uero  
discrimen inde manifestum est, in diaria referuntur,  
sed noctu quoque omnium iouialium eclipses uisibles,  
nec non planetarum et fixarum coniunctiones, et alia  
phaenomena memorabiliora notantur. De iouialium  
obseruationibus, quae hodie primo fere in astronomi-  
cis loco ponuntur, et modo eas debite instituendi,  
ut cum Parisiensibus utiliter contendи queant, latius  
dixi in explicatione Louilabii Cassiniani. Saturnius  
comitatus eundem quidem in finem similiter spectan-  
dus uidebatur, uerum, quia perdifficilis est eius ob-  
seruatio, praelongis quippe telescopiis, quae non ab  
omnibus parari tractarique possunt, suspicienda, et  
quia iouiales eclipses frequentissimae astronomis suffi-  
ciunt, hinc Saturniae in obseruatorio Parisensi omit-  
tuntur.

Hactenus Germanos, a quibus astronomia pri-  
mum feliciter instaurata et exculta, et reliquis Euro-  
pae

pae gentibus tradita est, exteris studio praxeos astronomiae superare, et gloriam olim partam dubiam ipsis reddere videbantur. Verum mox reuixit pri-  
stinus, quo in artes scientiasque ornandas ciues nostri feruntur, ardor. Norimbergae enim *Georgius Christopborus Eimmartus*, singulari obseruationum cœlestium amore inflammatus, a. 1678, Senatus Norimbergensis benigno indultu, in propugnaculo arcis Caesareac vicino, quod sublimi urbis loco situm est, instrumenta varia astris speculandis idonea, magno et proprio sumtu ac labore comparata, collocavit, eademque usque ad a. 1705. stellarum phaenomenis notandis adhibuit. Latent adhuc pleraeque peringeniosi diligentissimique illius uiri obseruationes, inschedis, quae in scribi generi eiusdem, *Celeberrimi Domini Milleri Mathematici Altiorfini*, afferuantur, dignissimae omnino, quae in publicam lucem edantur, quia ipse earum auctor tam solicite eas selegit et descripsit, et sub XCIX. titulis digessit. In primis mihi placuerunt obseruationes micrometro-teledioptricae, in quibus distantiae minutae siderum micrometris determinatae referuntur, nec non icones lunares, et catalogus fixarum pro asterismis &c. laboriose ordinatus, et idea obseruatorii perfectioris variis figuris illustrata. Ceterum post obitum Eimmarti, Perillustris Senatus Noricus satisfecit pro organis astronomicis heredibus, et curam continuandarum obseruationum Celeber. Dn. Io. Gabr. Doppelmaiero, in Collegio illustri, quod Norimbergae floret, Mathematum Professori meritissimo, commisit, qui hodie eas magna cum laude exercet. Instrumenta, praeter horologium,

logium, quod in vicina pergula est, sub diō confidunt. Sunt tere sequentia *Annulus azimuthalis* ferreus, limbo orichalcico tectus, diam. 5. p. Nor. semicirculus diam. 3. pedum. tres *quadrantes*, quorum maximus habet radium, 6. pedum. *Sextans* rad. 5. p. duo *octantes* rad. 7. ped. *Triens* maximus rad. 16. p. *Sciatericum aequinoctiale* ex armillis ferreis compositum, diam. 5. p. *Sphaera armillaris Weigeliana* diam. 9. p. *Aliquot columnae* sive arbores erectae, pro sustinendis commode telescopiis diuersae longitudinis. Figuras harum machinarum aeri incisa, sub titulo apparatus uranici Eimmartiani, edidit, et in epistola ad *Martinum Knorium*, olim Mathematicum huius Academiae, explicavit *Christ. Iac. Glaserus* a. 1691. Mihi quidem illud non satis placet, quod instrumenta sub diō tempestatum iniuriis exposita sint, et quod nullus arcus dioptras telescopicas habeat, sine quibus accurate speculari sidera uix licet.

Eimmartum in eadem Norimberga secutus est *Ioannes Philippus a Wurzelbau*, quem in primis come-ta a. 1680. rapuit in admirationem, et ad attentio-nem coeli contemplationem adduxit, uti ipse refert in Bas. *uran.* Nor. p. 21. Imposuit itaque aedibus suis speculam, et in ea aliqua melioris notae organa constituit, iisdemque plusquam triginta annis locu-plerandae astronomiae operam dedit. Iam autem post Wurtzelbaueri mortem cessat labor, et instru-menta alii uenalia offeruntur.

*Cassellis*, ubi a duobus fere seculis astronomia, sub Principum Hassiae benignissimo praefidio patricinioque fuit amplificata, circa annum seculi superioris nonagesi-mum

mum, CAROLYS Princeps, qui hodie sapientissime Hassiam regit, speculam quoque astronomicam, supra Technophylacium, sive aedes artis operibus conseruandis dicatas, exstrui iussit, aduocato Lugduno Batauorum clarissimi nominis astronomo Dn. D. Lothario Zumbach a Koesfeld, ut hic stellis notandis uarearet, quam protinjam idem adhuc sustinet. Et eum angustius uideretur hoc obseruatorium, domus amplissima, in extremo urbis nouae angulo, solidis muris fornicibusque, eiusdem Magni Principis mandato, a. 1714. exstribebatur, cum dupli area hypæthra, et media turricula, pro quadrante fixo commode statuendo. Sed hactenus nondum noua haec specula Vraniae dedicata est. Idem interim summus artium Patronus iussit, ut nouum obseruatorium Marpurgi erigatur.

Lugduni Batauorum circa annum superioris seculi nonagesimum, Curatorum illustris illius Vniuersitatis beneficio, aperta est specula ampla, in summo Collegii Academici, lignea quidem, sed fini tamèn suo accommodata. Quippe ex qua satis eleuata, undique libere prospicitur. Instrumenta in duabus turriculis, et conclavi addito custodiuntur. Nempe quadrans azimuthalis radii  $6\frac{1}{2}$  ped. ligneus, excepta regula dioptrarum et lamina, in qua arcus diuisiones factae sunt. tectum huius turris rotæ dentatae cylindrisque circa axem uerfatilibus, incumbit, ut tympano rotari queat. Sextans totus acreus rad.  $2\frac{1}{2}$  pedes, cuius margo dentes habet, cochleæ infinitae conformatos. Quatuor cochleæ conuersiones uni gradui respondent, et cochleam orbis ambit in 360. partes diuisi,

divisus, qua ratione gradus sextantis singuli in 360.  
 4 = 1440 partes secantur. Telescopium duplex  
 loco dioptrarum imponitur. Praeterea duo arcus  
 semicirculares dentati, tympanisque inserti, cum pon-  
 deribus duobus plumbeis, applicati sunt, ut in quo-  
 cunque situ instrumentum stabile retineatur, ut com-  
 modius per telescopia stellae adspici queant. Co-  
 perunt etiam similem sextantem, radii 6. pedum, com-  
 ponere, cuius fabrica fere absoluta est. Sed quoad  
 dentes limbo additos, quos etiam in *Hevelii* machi-  
 nae coelestis parte secunda memini me figura reprae-  
 sentatos uidisse, dubius adhuc haereo, utrum iis tu-  
 to utiliceat. Perfectam enim dentium spirarumque co-  
 chleac crastinem, ac distantiam, uix lima sua praestare  
 artifex potest. Forsan idem sensit, et experimentis  
 compertum habuit, Cassinius, qui talen graduuum  
 partitionem in Observatorio regio Parisiensi non ad-  
 misit, sed minutorum primorum determinatione con-  
 tentus esse maluit. Extant praeterea in specula Lugdu-  
 nensi telescopia aliquot longa et brevia, et fulcimenta,  
 quibus apte innitantur, observationibusque instituen-  
 dis praecest *Celeberr. Dn. Grauensandius*, Mathescos in  
 laudata Academia Professor. Inter astronomiae ad-  
 minicula, quae Lugdani extant, referri quoque debet  
 sphaera armillaris copernicana automatica pretiosissi-  
 ma, diam. 5. ped. quae a Sheperi Senatoris Roterodamen-  
 sis heredibus donata est. Afferuatur in pergula fenestris  
 undique perspicua, in Bibliotheca publica Lugdunensi,  
 et prostat de eadem peculiaris descriptio, quae curi-  
 osis huius machinae spectatoribus offerri solet.

Observatoria, quae haec tenus commemorauit,  
 iam superiore seculo floruerunt. Restat, ut de iis,

quae hoc nostro erectae sunt, breuiter dicam.  
Primum est *Berolinense*, sub huius seculi initium, Potentissimi Borussiae Regis FRIDERICI Primi serenissimis auspiciis, in gratiam institutae scientiarum academiae, aedificatum, in quo inde a conditu eius industriae aliqui obseruatores stellis considerandis fuerunt occupati, et hodie laude digna antecessorum uestigia non infelicius legit Dn. Godefridus Kirchius.

Alterum, quod hoc seculo coepit, est *Altorfinum*, magnifici Reip. Noricae Senatus impensis, collegio illius Academiae impositum. Eo spectat conclave, quo continentur horologium oscillatorium, et apparatus pro minoribus telescopiis, nec non globus armillaris perelegans, cuius circuli, ad mentem Copernici compositi, inferius tympanis rotisque dentatis, quarum uni cochlea infinita, cum manubrio applicatur, cinctur in motum, atque ita diuersas stellarum planetarum progressiones, et inde oriunda phaenomena clare exhibit. Supra hoc conclave tecto imminet hypaethrium, lorica ferrea cinctum, in cuius medio quadrans rad. 4. p. super circulo azimuthali diam. 9. p. mobilis, consistit. Partitus est gradus quadrantis et minuta *Abdias Trew*, verum dioptiris telescopicis destituitur. Multas egregiasque in hac specula obleruationes e coelo deduxit Dn. Jo. Christoph. Mullerus Mathematum et Physicæ Professor Altorfinus meritissimus.

*Ultraiedi* quoque ante breve tempus, reipublicae illius proceres prudentissimi, academiae suae ornamenta egregie auxerunt, non solum enim horum medicum, aedibus, in quibus nouum theatrum anatomicum, officina chimica, nec non conclave, rario-

rrioribus naturae operibus asservandis dicatum, occur-  
runt, contiguum, ante biennium fere instituerunt,  
sed etiam peruetustam turrim in uallo urbis sitam,  
quae, teste antiqua inscriptione, seculo duodecimo in  
munimen Traiectensis ciuitatis solide erecta est, re-  
staurarunt, tabulatoque latiore imposito, obseruatio-  
nibus astronomicis idoneam reddiderunt, et iam in  
eo sunt, ut eandem machinis necessariis instruant.  
Annus est, ex quo hanc speculam primum tum ab-  
solutam concendi, quo tempore *Celeb. D. D. Ma-*  
*Schenbroekius*, Mathematicus Ultraiectinus, nonnulla in-  
strumenta astronomica ex suo museo in eam trans-  
portauerat, et notandis coelestibus spectaculis iam  
se se accingebat.

In Italia a. 1722. speculae nouae aedificium Bo-  
noniae atolliri coepit, ut refert *Celeb. Dn. Eu-*  
*stacius Manfredius*, in praef. Ephemeridum, ab a. 1726.  
ad a. 1750. productarum, qui idem, sociis quibusdam  
adiutus, astronomi ibidem et obseruatoris munere  
fungitur. Ceterum laudat nobis Manfredius eodem  
loco plures alios, qui passim in Italia astra notant.  
nempe *Franciscus Blanchinus* id agit Romae, *Marchio*  
*Saluagus* Genuae, *Io. Polenus* Patauii.

Quis nunc status sit Obseruatorii *Vissiponensis*,  
non omnino habeo cognitum. Parisis mihi nar-  
ratum est, colli ibidem siderum contemplationes a  
duobus societatis Iesu Sacerdotibus, *Io. Bapt. Carbone* et  
*Dominico Copasso*, et nonnulla quandoque specimina ad  
regiam societatem scientiarum gallicam mitti. Instru-  
mentis utuntur notae melioris, quae Regis Portugal-  
iae, benignissimi scientiarum promotoris, beneficio  
et sumptibus Parisis parata fuerunt. Nec dubium

est, utilissimam fore hanc operam, quia in extrema Europae uerius occasum parte, et in urbe maritimis commerciis florentissima, obseruationes instituuntur.

Spes etiam est Dn. Nicasius Grammatici, qui nuper Ingolstadio *Madritum*, ad docendam ibidem Mathefin, sese contulit, perrecturum in locupletanda obseruationibus astronomia, quemadmodum antea in Germania, Friburgi, et Ingolstadii laudabiliter coepit.

Quid nunc Petroburgi *Rusorum* agatur, quo *Dn. Delisle*, Astronomus Gallus praefantissimus, ad obseruatorii aedificationem dirigidam, et stellarum speculationes aliquamdiu faciendas, ante biennium sese contulit, non accurate mihi constat. Parisiis faltem in regio obseruatorio relatum accepi, turrim speculae destinatam iam finitam esse, et *Delisleum* in tabulis refractionum, quae Petroburgi ab iis, quas Germani Gallique Astronomi notarunt, multum differre dicuntur, emendandis, nunc occupatum esse, ut deinceps securius de coeli spectaculis, illo loco in posterum habendis, statuere ipsis et aliis licet, uerum quoque perrexerit in hoc negotio, ignoratur.

Ceterum ex dictis manifestum esse arbitror, hodie per Europam praxin astronomicam non seleniter nec infeliciter passim exerceri, sed indies laeta incrementa capere. Enim uero non est praetereunda *Specula*, Pekini, in Sinensis Imperii metropoli, constituta, in qua hodiendum uranica studia ab Europaeis et Sinicis Obseruatoribus tractantur. Scriptis de ea narrationem peculiarem *Ferdinandus Verbiest* Flandro Belga, e Societate Iesu, qui circa A. 1678. Academiae Astronomicae in regia Pekinenſi praefectus fuit, quae edita est *Dilingae* a 1687 in 4. sub titulo

Abro-

Astronomia Europaea, sub Imperatore Tartaro - Sinico Com-  
Hy, ex umbra in lucem reuocata. Ex eadem sequen-  
tia memoratu digna repetam. laetant Sinenes,  
academiam suam astronomicam, quater mille annis  
et amplius stetisse. cap. 12. p. 46. Habuerunt etiam,  
ante Europaeorum aduentum, speculam astropticam,  
in qua peruetrastas quasdam machinas, sed rudiori  
minertia paratas, Ferdinandus deprehendit. Ve-  
runa, posteaquam Imperatori, eiusdemque proce-  
ribus, suam in rebus astronomicis peritiam, multis  
documentis comprobasset, et propterea praefidis  
collegii astronomici prouinciam obtinuisse, specu-  
lam Pekinensem nouis organis, ad obseruandas stel-  
las accommodatis, instruxit, atque in illa nouen-  
decim circiter imperialium millia, intra annos qua-  
tuor, consumxit, et instrumentorum fabricam et  
usum, libris 16, sinico idiomatico compositis, descri-  
psit. uid. p. 46. Obseruatorium Pekinense situm est  
ad orientalem urbis plagam, forma quadrata, su-  
pra urbis muros alte eminens, ex quo horizon  
longe lateque patet. Noua instrumenta Ver-  
biestii cura elaborata, sunt, *globus ecclesiasticus*, *binae*  
*armillae*, *aequatoria et zodiacalis*, *horizon cum tri-*  
*angulo azimuthali*, *quadrens uolubilis*, et tandem *sex-*  
*tans*, prope quem in altissima arbore anemodicti-  
cum appensum est. In medio lateris orientalis,  
turris quadrata, supra planitiem maioris speculae  
surgit, in cuius quatuor angulis singuli Mandarini,  
h. c. Sinenses Philosophi sunt positi, qui distributis  
inter se horis, die nocteque uigilanti oculo in coe-  
lum sunt intenti, et quaecunque spectant ad aeris  
vel coeli uicissitudinem, ad meteora, aliaque phae-

nomena, diligenter obseruant, et in libro annotant, ac singulis diebus mane ad astronomiae praefectum deferunt, nomine et chirographo eorum, qui statis horis obseruarunt, adiunctis. In medio illius turriculae est focus figura rotunda excauatus, ad carbones tempore hiberno accendendos, ac frigus arcendum. Ad sinistram turris supra communem illius planitiem, domus est, in quam Mandarini uigiles se recipiunt, ut contra aeris iniurias se defendant. Circa instrumenta astronomica laudata gradus marmorei in amphitheatri formam sunt, ut undique ad ea oculum admouere obseruator possit. Ad speculae radices, aedes aliae atrium oblongum cingunt. Hic stilus aeneus 8. pedum, super mensam aeneam 18. p. longam, et i. dig. crassam, consistit, in qua quotidie solis umbram meridianam distinguunt. Huc per diem 20. circiter uigiles Mandarini mittuntur, ex maiore astronomico collegio, quod non procul a palatio imperatoris distat, in quo 200. Mandarini praesidem suum statis diebus astronomica, aliaque argumenta philosophica explicantem audiunt. v. p. 48. 49.

Tria nempe sunt Pekini tribunalia astronomica. Vnum ad orientalem urbis plagam, iuxta quod specula est, alterum ad occidentalem, ubi theoria astronomiae et calculandi ratio explicatur. Tertium in medio urbis prope palatum imperatoris, ubi publica mathematicae negotia expediuntur. Claves autem astronomorum tres ibidem constitutae sunt. Ad primam referuntur, qui ephemerides in lucem edunt, et solis et lunae eclipses, et alias calculos tractant. Ephemeridum enim libri tres sinico et tarta-

tartarico idiomate quotannis edendi sunt. Minimus eorum *calendarium* vulgare vocatur, in quo menses anni lunaris et singuli mensis dies, cum ortu et occasu solis, diei et noctis longitudine, pro eleuatione poli diuersarum prouinciarum, et lunae phases, itemque ingressus solis in signa notantur. Hoc calendarium, ligillo tribunalis astronomici munitum, per imperium totum disseminatur, et editio priuatorum calendariorum sub poena ultimi supplicii prohibetur. Alter liber continet ephemerides planetarum, quales in Europa vulgari solent. Tertius tantum manuscriptus offertur imperatori, et tradit coniunctiones lunae cum fixis et planetis, ut etiam planetarum ad fixas insigniores appulsus, et postquam obseruatio in specula fuit facta, iterum Imperatori consensus dissensusve calculi et euentus indicari debet. v. p. 22. 23. Notatu etiam digna sunt, quae de solennitate, qua quotannis primo mensis decimi die, Imperatori et aulae ministris noua calendaria offeruntur, narrat. p. 25. Amant adhuc Sinenses astrologiam, ideoque octies per annum astromoni figuram coeli Imperatori indicare, et de futuris tempestatisbus prognostica addere debent. *Altera* classis eorum est mandarinorum, qui in specula in uigilant siderum phaenomenis, de quibus supra dictum. *Tertia* tandem classis comprehendit eos, qui publicis operibus tempus suum praescribunt. Instructi sunt acu magnetica et horologio, sive clepsydra, quam in primis, quando obseruatio eclipsis instat, accurate praeparant, ut coelo sit conformis. nonnulli ex iis horas nocturnas, per uigiles ulterius toti urbi annuncian das, definiunt. p. 33. Quod autem nec hodie a similibus

ex<sup>4</sup>

exercitiis astronomicis desistant Sinenses, elucet ex specimenibus, quae subinde Europaeis innotescunt. V.  
Manfredii praef. ephemeridum p. 4. ubi laudat P. Ignatii Koyleri S. I. observationem deliquii lunaris, d. 2.  
Januarii, a. 1722. Pekini factam.

Supereft, ut de paelectionum, per aestatem in  
hac Academia habendarum, instituto paucis exponam.  
Opportune nimirum accedit, ut ante fuscum ad exteros iter, absoluerm generalem astronomiae partem,  
quam sphaericam nominant. Istam igitur specialis aſtrorum contemplatio excipere omnino debet, quam  
tanto lubentius alacriusque aggrediar, quanto inde  
meliorē amplioremque occasionem nanciscar, in ſingulis laudatae doctrinae capitibus, addendi atque ex-  
pliſandi ea, quae nouissimis astronomorum ſtudiis pa-  
refacta ſunt. Et quamuis Auditores non poſſim inuitare, ad frequentandum obſeruatorium organis neceſſa-  
riis inſtructum, dabo tamen ſedulo operam, ut una  
cum phaenomenorum explicatione, etiam modos, ea-  
dem notandi, permisceam, perspicue commemoratis  
momentis, quae ad fabricam uſumque ſupelleſtilis  
astronomiae practicae ſpectant. Praeterea calculorum  
tractandorum artificia facilitare, et exemplis clariora  
et iucundiora reddere connitar. Cum autem librum,  
cuius ductum continuo ſequi poſſim, et qui facile pa-  
rabilis ſit, non reperiam, dictabo in calamum a me  
digefta theorecae principia. Initium lectionum, De o  
auspice, fakturus ſum, crastino die XXIII lunii, hora ante  
meridiem octaua in Auditorio maiore, quo ut fre-  
quentes congregentur Nobilissimi Honoratissimique  
Domini Commilitones, etiam atque etiam  
rogo et contendo.

P. P. Fer. II. post d. F. SS. Triadi Sacrum. Wittenbergæ  
A. c. 1722. xxvii.

Wittenberg, Diss., 1727 Sp-2

X 237 1928

ULB Halle  
007 495 064

3





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-252632052-10

DFG

B.I.G.

Black

3/Color

White


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ER. WEIDLERI  
DE  
ESENTI  
VLARVM  
OMICARVM  
TATV  
SERTATIO  
TIONIBVS PVBLICIS  
IN  
WITTEBERGENSI  
c. Icc. XXVII.  
EMESTRI HABENDIS  
PRAEMISSA  
WITTEBERGAE  
GERDESIANIS.